

sint, & homines, bestias, loca, tempora, deniq;  
omnes res insimulant potius quàm se peccasse  
fateantur. Deus autem confessionem exigit à no-  
bis. hanc pro singulari cultu suo nobis propo-  
nit. Confiteri enim nos vult delicta nostra, &  
honorem hunc sibi habere, ut tanquam à medico  
petamus curationem vulnerum nostrorum. An  
est autem obscura fœditas horum? non dicam  
de singulorum priuatis flagitijs aut sceleribus,  
De publicis dicam & ijs quidem grauissimis im-  
pietatis. Vbi igitur integra doctrina fidei re-  
mansit, ubi non mendacia & errores illam cor-  
ruperunt. Quæ dominatio usurpata in Eccle-  
sia, qui conscientiarum carcer extractus fuit?  
Quid ego de ritibus & ceremonijs dicam? o-  
mnia constat superstitione & impietate turpif-  
simè fuisse contaminata aut prorsum depraua-  
ta. Incipiamus si placet, à summo Dei cultu, ado-  
rationis seu inuocationis. De quo scriptum est,  
Deum tuum adorabis & illi soli seruias. Quæ  
igitur illa fuit hætenus in Ecclesia, & nunc à  
quibusdam proteruo ore & impudica fronte  
defenditur? Ne obsecro ludamus in re tanta.  
Scio quid dicant. an non semper Deum inuoca-  
uimus? An non ad illius nomen celebrandum o-  
mnia à nobis fuerunt destinata? Nonne & hunc  
in ipso & in sanctis eius coluimus? & his simi-  
lia. Aduocant multa undiq; testimonia, & rem  
mirabiliter inuoluunt. Quam nos explicatam in-

B

tueamur,